

I. N. 7.

17

DISSERTATIO GRADUALIS,

HISTORIAM

MAGNORUM

DUCUM

FINLANDIAE

LEVITER BREVITERQUE ADUMBRANS,

QUAM

Suffragio Ampliss. SENATUS Philos. ad Regiam  
Acad. Aboëns.

SUB PRÆSIDIO

M<sup>AG.</sup> JOHANNIS  
BILMARK,

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORIS ORD.

Publice disquirendam præbet

JOHANNES HENR. KELLGREN

Westro-Gothus,

In AUDITORIO MAJORI Die IV. Julii

Anni MDCCCLXXII.

H. A. M. C.

---

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL,

# MURONI DAM

## PRÆFATIO.

**Q**uum magnos magna deceant, adeo ut ALEXANDER MAGNUS non nisi ab HOMERO laudari, nec nisi ab APELLE pingi, nec denique nisi a PHIDIA statuam sibi ponl optaverit; multi procul dubio mirabuntur, cur ego e pulv̄e in solem prodire & succinctam Magnorum Ducum Finlandiaæ Historiam exhibere ausus fuerim. Imitabor autem in præsenti hac opella pictores, qui faciem, vénustate ac majestate fulgentem, quam dignis coloribus se exprimere posse diffidunt, levibus tantum adumbrant lineis. Profecto materiam elegi adeo præstantem & amplam, ut eidem rite absolvendæ vix integrum sufficeret volumen; quam tamen ipse, monumentorum inopia laborans, paucis admodum pagellis includam. Quum vero intra præfixas, quantum quidem fieri potuit, oleas me continere studuerim, facile subodorari possum, haud pauca, quæ ad ornatum spectant, hac occasione a me esse prætermissa; pleraque tamen, quæ ad substantiam, ut ita loquar, materiae pertinent, ex probatissimis collegi Auctoriis, collectaque in qualemcumque redegi ordinem. Suscipe igitur, Lector Benevolè, serena, qua soles, fronte isthac studiorum meorum specimen, a dignitate licet illustris argumenti perquam alienum. Si quid in eodem invenias attentione tua dignum, felicem me prædico; sin vero infra tuam exspectationem nostra subsistant conamina, est quod magis dolorem quam admirationem meam movebit. Quemadmodum autem uti Gallico fertur proverbio: *Unpetit ille est un petit mal;* ita quoque opella nostra saltem eo indul-

indulgentiam tuam commerebitur, quod compendium modo tædii tibi præbeat; nam si te non instruere possit, memoriam tamen quorundam momentorum recolet,

## §. I.

Sicut apud Romanos quondam multo pauciores, quam hodie apud nos sunt, fuerunt honorum gradus; ita quoque tituli, quibus distinguebantur, rariores erant. Dux igitur admodum generale nomen apud illos fuit; quippe quo singuli insigniebantur, qui vel totum exercitum; vel majorem minoremve ejus partem ducebant. Sic inter Duces primum numerabantur *Centuriones*, sive *Ordinum Ductores*, quos dignitate superabant *Tribuni*. Duces autem, qui universo praeerant exercitui, fuerunt primo *Imperator*, secundo *Legati*. *Imperator* erat, qui ductu & auspicio suo rem gerebat; *ductu* quidem, cum ipse præsens; *auspicio* autem, quim ex ejus mandato aliis officium ipsius obiret. Unde apparet, quod Duces Romanorum dignitate fuerint diversi ab illis, quos sequior ætas Duces, Svethece Hærtigar, nominavit. Unde vocabulum *Hærtig* seu *Hertog* descendat, de eo multa multi disputant. HEUMANNUS existimat se rem acutetigisse. Opinatur igitur vocem hanc esse hybridam, compositam ex Gothicō vel Germanico *Hær* exercitu & Latino *Duce*; veteres enim Germani *Dux* per *Duk* vel *Dok* expresserunt. Adeoque *Hærtig* antiquis Germanis *Hertog*, idem est ac *Hær-Duk* militia præfectus, sicut *Herman* vel *Hærman* proprie significat militem. In robur hujus allatae sententia adfert, quod veteres Germani habuerint alios Duces, qui militia præfecti non erant, quam opinionem porro confirmat ex obliteratione SVICERI in Thesauro Ecclesiastico, voce Δξ, scilicet quod supremus Campi Mareschallus medio ævo ab Imperato-

ribus Græcis diceretur *segliny* & *Δέξιος*. Quamvis autem non diffitemur, quin ingeniosa sit isthac opinio, nobis autem etymologicæ hybridæ semper visa sunt horridæ. Genuinam vocis *Hærtog* vel *Hertug* originem nobis exhibet EDDA, de Appellatione & titulis Regum: *Hærtuge heiter einen swo Jarl som Kongur, thuy thær leida hær sinn um land till Orstu*, id est: Duces dicuntur pariter tam Jarlus, quam Rex, nam ducunt exercitum suum per regiones ad bellum. Ex quo satis adparet, quod *Hærtog* sit compositum ab *Hær* exercitu & *tog* vel *toga* ducentre; unde tam *Leidtoga* Island, vitæ Dux, quam *Togordning*, lex ordinans, qua ratione copiæ per provincias iter facere debeant, Vid. Nob. IHRES Glossar. Sviogoth. Hinc descendit Ducatus seu *Hærtigdomme*, quæ est provincia, intra quam Dux suam exercet potestatem.

## §. II.

Quum Gothica vocabula *Hærtig* & *Furste* eadem Latina voce, scilicet per *Ducem* exprimi soleant; in Senatu gentium disquiri solet: Quisnam horum titulorum altero sit præstantior? siquidem utroque nomine ex usu loquendi jam recepto indigitari soleant Personæ, quæ magna quidem, sed minori tamen plerumque gaudent potestate, quam Imperator aut Rex. Licet autem promiscue hi adhibeantur tituli; exempla tamen probare videntur, quod *Ducis* (*Hærtigs*) nomen majorem auctoritatem in se comprehendat, quam alterum vocabulum. *Hærtog* enim antiquissimis temporibus is dicebatur, qui in *toga summam* post Regem aut Imperatorem gerebat negotiorum civilium administrationem, & in *sago* exercitum ita ducebatur, ut ceteri omnes, qui castra sequebantur, eius subessent imperio; quare necesse est *Ducis* titulum, ea præsertim tempestate, qua virtus fagata omnium merebatur admirationem fuisse longe honorificentissimum,

adeoque de plerisque his Ducibus valet, quod de MILIADE scribit CORNELIUS NEPOS, scilicet Regia ipsos auctoritate inter suos gavilos fuisse, quamvis carueriut nomine. Contra autem *Furste* tam vi vocis designat *in ordine primum*, quam ex recepto usu significat illum, qui in supremo honorum fastigio est natus, vel etiam civitatem in negotiis publicis repræsentat; quamvis in eadem oppido pauca ex suo gerere poslit arbitrio. Accedit sententia nostræ inde quoque momentum, quod TACITUS in sua Germania fateatur, quod Duces ex virtute elegerint Majores nostri. Immo adhuc luculentius hoc exinde patet, quod Pomerania in Matricula Imperii Romani Germanici appelletur Ducatus *Hærtigdömme*, sed adjacens Insula Rugia nuncupetur *Fursten-dömme*. Quocirca nec silentio erit prætereundum, quod Comitum & Principum (*Grefvars och Fürstars*) tituli promiscue adhibeantur, quare etiam Landgravii & Marchiones (*Landt-Grefvar och Mark-Grefvar*) onanes in Imperio Germanico appellantur *Fürstar*, & æquali cum his auctoritate in comitiis gaudent. Postquam autem Ducum numerus per orbem Europæum sequiori ævo valde fuit auctus, gradus quoque inter illos constituti, & epitheta adjecta, quæ superiorem quandam dignitatem exprimerent. Ita cum Marchiones Austriaci ad illud potentia culmen adscenderant, ut cum ipsis æmulari potuerint Imperatoribus, hi consultum duxerunt, hos, ne imperio, urgentibus præsertim necessitatibus, se subducerent, Archiducum titulo insignire. Quis etiam ignorat, quod Ordines Florentini, solutis Imperatori 12000 thaleris imperialibus, plenam impetraverint libertatem, aut quod Duces ipsorum, crescente indies illorum potentia, per primarias Pontificis Romani preces ab Imperatore augmentum illud honoris sint consecuti, ut *Magni Duces* sint nuncupati: quem titulum in Imperio Rossico primus sibi vindicavit JARISLAVUS, Rureci pronepos &

Regis Svetiaæ OLAVI SKOTTKONUNG gener. De Magnis Ducibus Finlandiaæ postmodum dicemus. Denique observo, quod quamvis Archi-Ducis & Magni Ducis tituli parem ferme dignitatem innuant; non tamen propterea promiscue sunt adhibendi, nec posterior, ut civitate Latina magis donatus, est anteferendus priori; ineptum enim est, displicere Principibus, ut placeamus Grammaticis.

### §. III.

Quod ad *Ducis* munus, quale idem antiquissimis fuit temporibus, attinet, sciendum est, quod supra commemoravimus, ad illum pertinuisse supremam post Regem negotiorum civilium curam, adeo ut Regi, tam in toga, quam in sago dignitate proximus fuerit. Immo rite perpenfa colligere licet, quod Majores domus in Gallia atque Gubernatores regni Svio-Gothici ipso jure vix majorem olim habuerint potestatem, quam quidam *Ducum* Svethicorum. Imprimis autem ad horum pertinebat officium, sub Regum auspiciis exercitus ducere, & singula ordinare, quæ ad felicem belli successum conferre judicarent. Immo præviis Historiarum monumentis constat, quod nonnullis *Ducum* Svio-Gothicorum fuerit concessum, jura quædam Majestatica in provinciis, regimini ipsorum commissis, exercere; salvo tamen feudal iure, quo Regi suo fuerunt obstricti. Quod ad Magnos *Duces* attinet, hi, si vulgarem loquendi usum respiciamus, Ducibus superiores & Regibus dignitate propiores fuisse videntur. Quamobrem etiam HUBNERUS in Lexico Status: Groß-Herzog ist eine hohe Stände Person, welcher geringer ist als ein König, und größer als ein Herzog. Enimvero hæc ipsa descriptio cum usu gentium usquequaque non convenit, quin exceptio quædam heic detur. Ex Historia enim constat, quod quam-

vis Hetruriæ Princeps Magni Ducis titulum obtinuerit, hoc tamen tituli augmentum impedire non potuit, quominus prior locus Duci Subaudiaæ fuerit concessus, postquam controversia & præcedentia horum Principum ad Electorum arbitrium fuisset translata.

## S. IV.

De origine Ducum Svio-Gothicorum, re a nostra memória admodum remota, inter se non satis conveniunt Scriptores. Qui omnia ad prolixam referunt antiquitatem, a Longobardis, e Scandinavia, hac gentium vagina, olim egressis, eorum natales repetunt, inducti auctoritate & testimonio PAULI DIACONI, quod ita habet: *Mortuis interea IEOR & AVONE Ducibus, qui Longobardos e Scandinavia eduxerant, & usque ad hæc tempora rexerant, nolentes jam ultro Longobardi esse sub Ducibus, Regem sibi ad ceterarum gentium instar statuerunt.* Quisque autem facile animadvertis, quod per Duces hoc loco intelligentur personæ admodum diversæ ab illis, quarum in hoc nostro opusculo fit mentio; & quod hi Longobardorum præfecti nullo feudali nexu Regi, cœduces Svio-Gothici quondam fuerint subjecti. Majoris omnino momenti est aliud hic spectans argumentum. Scilicet RODERICUS FLAHERTY in sua Ogygia citatus a TORFÆO, ex annalibus Longobardorum refert, quod ALBOINUS, Longobardorum in Italia Rex An. 568 GISCULPHUM, Nepotem suum Foro-Julensem Ducem instituerit. Sed licet huic facto fidem non derogemus, exinde tamen non sequitur, quod Ducalis dignitas in Scandia ad parem attatem adscendat. Sunt alii, qui opinantur Duces Svio-Gothicos successisse Regulis provincialium (*Fylkis Kongar*), infando stratagemate a Rege Upsaliensi Ingialdo IIIrada Sæculo VIII abrogatis. Enimvero si nostros evolvamus annales, constabit Jarlos atque

que Herseros tunc fuisse constitutos, qui in plerisque  
 comparari possunt cum hodiernis Provinciarum Guber-  
 natoribus atque Legiferis, si modo addamus, quod i-  
 psorum munera insuper militaria fuerint. At in Annali-  
 bus Hyperboreis Ducis *Hertigs* titulus longe demum post  
 tempora eorum appareat. Primus, quantum quidem nobis  
 constat, qui Ducis titulum in Scandinavia gessit, fuit  
**GUTORM OSTMADERSSON**, S. HELENÆ Pater, de  
 quo refert Sturlonides, quod aulæ Regis HARALDI  
**PULCRICOMI** præfectus & Consiliariorum omnium  
 princeps, supremus etiam militiae Tribunus, id est Hærtug,  
 constitutus sit; ita enim auctor hic: *Hans Moder-  
 broder GUTORM blef Hof-Marschbalk öfver alla Hans  
 Hoftjenare, bade och bæla Riksens sÿrrelse at förestå: Han  
 var ock Hærtig öfver alt Konungens Krigsfolk.* Parebant  
 ea tempestate, hoc est circa medium saeculi XII, Helsin-  
 gia & Jemtia Regi Norvagiæ, sed Rex Svethiæ ERICUS  
**JEDVARSSON** sua prudentia & moderato imperio rem  
 eo perduxit, ut cives regionum memoratarum Svethiæ  
 sponte sua se subjicerent; qua occasione GUTORMUS  
 quidam vel modo memoratus vel propinquitate ipsi con-  
 junctus ad Svethiæ Regis aulam accessit, Ducis ibidem  
 titulo insignis, & ERICO imprimis carus, quem in gra-  
 vissimis deinde expeditionibus ad Finlandiam usque se-  
 quebatur. Circa hoc tempus Rex idem Svethiæ ERICUS  
**IX** constituit **ULPHONEM** Sunason Jarlum de  
 Bjälbo, Ducem, qui deinceps plures, easdemque illustres,  
 obiit Legationes. Rarus tamen adhuc per longum satis  
 temporis spatium in Syethia fuit Ducis titulus, ceu in-  
 de collimus, quod quum inclytus ille **BIRGERUS** Jarl  
 de Bjälbo, Regni Svio-Gothici Administrator, secundis  
 nuptiis thalami sociam sibi jungeret Reginam Viduam  
 Daniæ **MECHTILDIN**, Holstianæ Comitis **ADOLPHI** Fi-  
 liam, prius a Filio **VALDEMBRO**, Svethiæ Rege, se

Ducem

Dūcēti creandū curavit, in qua dignitate a Regni Senatoribus atque Ordinib⁹ postmodum fuit confirmatus.

Hicce jam præmissis, instituti postulat ratio, ut statum Finlandiæ publicum proprius consideremus. Quamdiu igitur Holmgardiæ regnum Principib⁹ ex antiqua Regni Upsaliensium familia fruebatur, tamdiu etiam Finlandia optatis gaudebat halcyoniis, & pauciores per Scandiam ab Orientali hæc plaga debacchatæ sunt bellorum tempestates. Postea autem ita mutata fuit Scena, ut Svetiæ Reges ERICUS EMUNDSSON & ERICUS VICTORIOSUS expeditiones ad has oras suscepserint, impetum ferocium harum gentium repressuri, qui etiam partem Finlandiæ nostræ in formam provinciæ Svetiæ redegerunt. Interjecto duorum circiter seculorum spatio, Svetiæ Rex ERICUS IX cruciatam expeditiōnem in Finlandiam suscepit; sed quamvis felici usus sit rerum successu, illam tamen Fennotum partem solummodo potestati suæ subjecit, quæ littoribus sinuum Bothnici ac Fennici insedit, in interiora non penetrans. An brevi illo, quo heic commoratus est, tempore formam Imperii constituerit, Magistratus creaverit & Leges quasdam tulerit, ex vetustis, qui supersunt, annilib⁹ expisci non potuimus; verisimile est, quod propter ingruentes ab occidentali plaga turbines, prius in Svetiam fese contulerit, quam res apud nos constituere potuerit. Attamen quum ERICUS OLAVI in Historia Svio-Gothica memoriae prodat, quod Episcopus Linneensis COLO simul fuerit Dux Finlandiæ, in quam sententiam ivit quoque H. SPEGEL in Chronico Episcoporum tradens, hunc ab An. 1160 ad An. 1195 memoratis præfuisse muneribus; sequeretur, quod COLO hic primus fuerit Dux

Finlandiæ. Enimvero quum allata hæc sententia nullo idoneo nitatur argumento, ceteri quoque cordaciores Historici momentum hoc silentio præterierunt. At si in hac narrationis nuce quis veritatis nucleus insit, per Finlandiam in memorato loco, non hæc nostra, sed forte Ostro-Gothiæ vicina intelligitur Finvedia. Sequenti tempore dum BIRGERUS JARL Tavastos, qui sui juris ha-  
ctenus fuerant, imperio Svecorum subjecisset, tranquilla magis facta est Finlandiæ facies, atque tunc res publicæ meliorem ac firmiorem nocte sunt fortæ. Insuper animadverto, quod FERDINANDUS NEOBURGIUS in Libro, quem inscribit *Curieuser Hofmeister zu allen Herrschenden staten in der bekannten Welt*, adserat, Finlandiam Svethiæ Régum filiis natu maximis plerumque tribui; quam opinionem nec plane rejiciendam nec penitus probandam censemus: vera enim est, si sermo fuerit de temporibus nobis propioribus, non item si antiquiorum rationem habeamus, ceu ex dicendis mox constabit.

Primus inter Finlandiæ Duces, quantum quidem certo scimus, fuit BENEDICTUS, frater Regis Svethiæ WALDEMARI & Filius BIRGERI Jarl de Bjåbo, quem hic suscepérat ex Conjuge sua INGEBURGE, Svethiæ Regis ERICI, Balbi cognominati, Sorore. Sicut administrator hic regni maxima pollebat auctoritate; ita quoque quum filius maximus natu WALDEMARUS regno fuisset potitus, ceteris filiis provincias distribuendas curavit, qua occasione Finlandia nostra cessit BENEDICTO, quam distributionem Pontifex Romanus ALEXANDER IV An. 1255 confirmavit. Incertum tamen est, an Dux hic in suum Ducatum unquam pervenerit, an vero provinciam hanc alii suis sub auspiciis administrandam reliquerit, ipse titulo atque redditibus contentus. Sicut BENEDICTUS hic admodum pacifico fuit animo

nimo; ita quoque Ordini Ecclesiastico inde a teneris se applicuit, non ut specie religionis Regi insultaret, sed ut corruptum, qualem satis animadvertisit, Ecclesiæ statum emendaret. In hoc stadio ita integritatem suam reddidit probatam, ut An. 1268 Archidiaconus Upsaliensis & An. 1272 Archidiaconus Lincopensis fuerit electus, retento tamen Finlandiæ Ducatu. In gravescentibus postmodum inter fratres, scilicet inter Regem WALDEMARUM ab una, atque Duces MAGNUM & ERICUM ab adversa parte simultatibus primum, mox internecinis odiis, Dux hic Finlandiæ suam interposuit operam, & exulceretos utrinque animos sua modestia lenitus, in pignus amicitiæ redintegranda sponte promisit, se ipsis traditurum fore suum Ducatum, si modo conceptas invicem inimicitias deponere vellent, qua tamen amplissima conditione parum omnino ipsum profecisse constat. An. 1286 Episcopus Licopensis fuit electus, atque in hoc munere a Pontifice Romano mox confirmatus. Existimat quidem Nob. DALIN, in Historia Patriæ, quod BENEDICTUS forte tædio tumultuum internorum renuntiaverit Ducati Finlandiæ, postquam Archidiaconus Upsaliensis factus fuerat; sed quam veritati consona sit isthæc opinio, vel ex titulo ejus colligi potest: BENEDICTUS Dei gratia Lincensis Episcopus & Dux Finlandiæ. Nec verisimile est, fratrem, MAGNUM LADULÄS, Regem æqui justique observantissimum, fratri germano invidisse provinciam, quam solemni tenebat titulo. Quid in sua gestæ diœcesi succincte explicat RHYZELIUS in sua Episcoposcopia; quid vero aut quantum ad Ducatus Finlandiæ commodum contulerit, prorsus reticent Historici. Peste correptus diem suum obiit An. 1291.

BENEDICTO jam memorato in Ducatum Finlandiæ.

diæ successit hujus Patruelis WALDEMARUS, Regis MAGNI LADULAS filius, Princeps magnis ornatus naturæ dotibus. Quousque potestas hujus Principis in suum Ducatum patuerit, ex Jure Publico ejus avi colligere non licet; fuisse autem illam admodum restrictam exinde constat, quod Duces ERICUS & WALDEMARUS coram Regni Ordinibus in Comitiis Holmensibus An. 1303 fuerint conquesti, minorem sibi in suas provincias competere auctoritatem, quam jure sperare possent. WALDEMARUS hic duxerat in matrimonium CHRISTINAM, Administratoris Regni TORKILLI CANUTI filiam; sed hic, qua fuit gravitate, ne latum quidem unguem a salute Patriæ dimoveri potuit, ut generi commodis velificaret. Interjecto tempore ferventibus odiis inter Swethiæ Regem BIRGERUM, cui impensè usque ad extreñum vita halitum favebat TORKILLUS jam memoratus, atque fratres ipsius ERICUM & WALDEMARUM, quin hi, urgente graviori necessitatis telo, ad regiones exteriores se se conferre coacti fuisserent, Rex BIRGERUS interea ipsorum Ducatus sibi vindicavit, sed qui paullo post ipsis fuerunt restituti. Enimvero exacerbati invicem animi simil mitigati non sunt; sed Duces hi, vindictam spirantes, & TORKILLUM, quem flectere sibique devincere non potuerunt, opprimebant studentes, eorum perduxerunt, ut Magna hujus Heroi indigna & funestissima acceleraverint fata atque Birgerum Regem in arce Håtunensi commorantem, & nihil hostile metnentem, captivum cum familia iduxerint. Sed sicut lubrica admodum est via, qua quis ad honoris culmen ptt iniquitatis gradus adscendit ita quoque ob facinus in BIRGERUM & TORKILLUM cognissimum in iniuriorum invidiā atque contemnum inciderunt Duces sapienter memorati; plerisque, ut mutabilia sunt hominum studia, infelici Regi faventibus. Accedente insuper Regis Danie

niae armata auctoritate, qui provincias Sveticas popu-  
labatur, tandem libertatem & regnum, sed admodum  
ancisum, recuperavit BIRGERUS, qui sui juris factus jam  
e longinquo fratrum suorum moliebatur interitum, &  
quoniam ipsis non diffiderent hosti reconciliato, poenas  
credulitatis subierunt gravissimas. Siquidem BIRGERUS si-  
bi religioni non duxerit, fratres in arce Nykopensi de-  
gentes ad se invitatos & blandissime exceptos post cœ-  
nam in teterriuum conjicere carcerem; ubi ex Regis  
mandato lsqualore & fame An. 1317 miserandum in mo-  
dum interierunt. Longum deinceps intercessit temporis  
intervallum, ex quo nullum Finlandiae Ducem in anna-  
libus nostris nominatum iavenimus, cujus rei causam  
deprehendimus, quod insequentes Svetia Reges paucos  
reliquerint filios, & in discordi illa unione Calmariensi  
omnia turbata fuerint. Curam Finlandiae nostræ in se  
suscepit quidem Rex CAROLUS Canuti, qui etiam in  
nostris oris ad meliora sese reservavit tempora, sed Re-  
gni Administratoris nomine fruens, Ducas titulum non  
curavit. Reducta autem quasi postliminio per gl. mem.  
Regem GUSTAVUM I. concordia, & stabilita certa  
Imperii forma, Finlandia rursus suos accepit Duces, quum  
Rex hic ceteroquin prudentissimus, amplissimas regni  
provincias inter filios distribuerit, qua occasione Finlan-  
dia Ducatus cessit Principi JOHANNI.

Fuit autem hic Princeps sere unicus Dux Finlandiae,  
qui hic non tantum aliquantis per commorabatur, sed  
etiam hujus sui Ducatus peculiarem gerebat curam. In-  
gravefcentibus enim ab orientali Finlandiae parte iterum  
iterumque hostium irruptionibus, Rex CUSTAVUS ipse  
ad Finlandiam sese contulit, ipsum comitante Dilectissi-  
mo Filio JOHANNE. Et quum non solum hostium in-  
sultus represserat, sed etiam Finlandiae Statum constitue-  
rat,

rat, in Svetiam revertitur, Duci huic, remanere iusso,  
 committens, ut quod inchoaverat perficeret, quem in  
 finem ipsi arcem Aboensem An. 1555 in Ducatus sedem  
 concessit. Duos igitur annos heic commoratus est O-  
 ptimus Princeps, quod tempus legendo & meditando  
 insumisit, ceu ex litteris Patris & Regis ad ipsum datis,  
 in quibus illum a *speculando*, ut verba habent, dehor-  
 tatur, constat. Anno autem 1557 in Svetiam rediit,  
 ut de futuro Patris testamento sese certiorem redderet;  
 qua occasione jus investituræ in hunc suum Ducatum,  
 cui parebant ditiones Aboensis, Raseborgensis, Kymme-  
 negårdensis & Alandensis, obtinuit, certumque impetra-  
 vit insigne, sicut constat ex litteris Regis die 7 - - -  
 An. 1557 datis, quæ occurunt in Celeb. O. CELSII  
 Dissertatione de Dignitate Ducali in Svetia p. 27 & seq.  
 Quo facto Dux in Finlandiam revertitur, ubi remansit  
 usque ad An. 1559, quo a Fratre ERICO missus fuit in  
 Angliam, ut hujus Reginae ELISABETHÆ nuptias, quas  
 sollicite ambivit, illi conciliaret. Nec in hoc negotio o-  
 peram Fratris desideravit ERICUS, quamvis spe sua exci-  
 deret. Hinc domum reversus parum in Svetia mora-  
 batur, in Finlandiam properans, tum ut orientalium ho-  
 stium irruptiones impediret, tum ut matrimonium, quod  
 cum Principe Polonica jam diu meditabatur, conclude-  
 re posset. Immo sequente anno conditionibus matri-  
 monii utrinque probatis, desideratam obtinuit thalami  
 sociam, cum qua in Arce Aboensi per paucos tantummo-  
 do menses tranquille vixit, quum frater ejus & Rex E-  
 RICUS, suspicionum furiis in transversum actus, Ducem  
 hunc Finlandiæ cum dilectissima conjugé sua captivos in  
 Svetiam An 1563 ducendos & arce Gripsholmensi in-  
 cludendos curaverit, qua immani catastrophe Finlandia  
 etiam Ducem benignissimum desiderare coacta fuit. Mi-  
 rari autem convenit, quod hujus eximii Principis &  
     ejus

ejus apud nos commorationis nullum fere nd nostram memoriam supersit monumentum, si excipiamus domum urbanam, quam nunc possidet Academiae Camerarius Dn. Thomas Björkbom, quam sibi emserat laudatus hic Finlandiae Dux. In pariere ad Boream spectante conspiciuntur statura satis brevi imagines trium Virorum muro impressarum, sed quid illarum designant, an tres filios Regis GUSTAVI, ERICUM, JOHANNEM & CAROLUM, vel alios, ne conjectando quidem adsequi possumus.

Interjecto autem tempore, mutata rerum publicarum scena, quum JOHANNES regno Svio-Gothico esset potitus, filium suum natu majorem, Principem SIGISMUNDUM, mox Principem Regni Hereditarium & Finlandiae Ducem renuntiandum curavit, sicut ex Actis Ordinum Regni An. 1569 consignatis dilucide appetet; in quibus hoc insignitur titulo: *Herr SIGISMUND, Sveriges Rikes Arf-Furste och Hertig til Finland.* Quum autem SIGISMUNDUS ea tempestate tres solummodo annos natus fuerit, Ducatus sui nullam gerere potuit curam. Posthac majora agitare coeperunt negotia tam parens quam filius, & uti Pellæo juveni unus non suffecit orbis, ita SIGISMUNDO unum non sufficiebat regnum, quippe interjecto tempore singula eo tetenderint molimina, ut SIGISMUNDUS sistema Regnorum Svetiæ ac Poloniæ constitueret: quare etiam nullo constat argumento, quod hic Finlandiae Dux vel ad nostras oras pervenerit, vel peculiarem quandam patriæ nostræ curam, dum Dux fuit, gesserit.

Postquam SIGISMUNDUS Poloniae Rex electus, gubernacula imperii hujus praesens capessivisset, Rex Svetiæ JOHANNES alterum filium JOHANNEM, quem ex conjugie sua GUNNILLA BJELKE suscepserat, Ducem Fin-

Finlandiæ & Comitem de Alandia & Bråborg renuntiandum An. 1589 curavit. Quo titulo etiam in testamento Regis JOHANNIS III insignitur: *JOHAN Sveriges Rikes Arf-Furste, Hertig til Finland och Grefve til Åland och Bråborg.* Deinde cum Ostro-Gothiæ Dux MAGNUS fatis concessisset, & Rex SIGISMUNDUS ab avito imperio haud ita multo post suisset exclusis, vacuumque adeo Regni Svio-Gothici solium jure dispositionis Testamentariae a Rege GUSTAVO I factæ jam pertineret ad Ducem Finlandiæ JOHANNEM, ingenuus hic Princeps, quod pubertatis annos nondum attigisset, videret autem Patriam internis atque externis malis fere fatiscerent, juri suo in Regnum renunciavit, & hoc Patruo CAROLO, tunc Regni Administratori, ejusque liberis ac posteris sponte detulit, sibi tantum reservans vacuum Ostro-Gothiæ Ducatum. Et ab hoc tempore Dux Ostro-Gothiæ & Comes de Bråborg & Leckö in actis publicis salutatur. Posthæc Princeps Hereditarius GUSTAVUS ADOLPHUS, Regis CAROLI IX filius major natu, Dux Finlandiæ in coronatione Patris fuit nuncupatus, ceu constat ex ceremoniis in solemini hoc actu observatis: *Uti procession in i Kyrkan gingo Hertig JOHAN på böger, Hertig GUSTAF ADOLPH mit uti, och Hertig CARL PHILIP på vänster.* När Konungen var krönt och hade satt sig på Stoblen på Thronen, då bars up af ANDERS OLSSON Riksens Hufvud-Baner, därnäst Stor-Furstendömet Finlands, sedan Södermanlands, och sidst Öster-Götländs, och ropaades af en Härbold: *Högborne Furste och Herr, Herr GUSTAF ADOLPH, Sveriges Rikes Arf-Furste, Hertig til Finland, Eders Furstelige Nåde komme up til at annamma Låbn af Eders Furstelige Nådes Kåre Herr Fader, Min Nådigste Konung och Herrre &c. &c.* Vid. citat. CELSH Disert. p. 13. Deinceps autem Magnum Ducem Finlandiæ sese nuncupavit. Nam in Actis Ore-

Orebrogensibus An. 1610. & in Decreto Comitiali dato  
 Nycopiæ An. 1611 titulus ipsius hoc modo exprimitur:  
**GUSTAF ADOLPH**, *Sveriges, Gøthes och Vendes Arf-  
 Furste, Stor-Furste til Finland, Hertig til Estland och  
 Västmanland*, a quo tempore ceteri Svethiæ Reges titulum  
 Magni Ducis Finlandiæ retinuerunt. Cave vero existimes,  
 Regem **GUSTAVUM ADOLPHUM** fuisse primum, qui  
 Magnum Ducem Finlandiæ sele nuncupandum voluit,  
 quem titulum primus assumisse videtur Patruus ejus, Rex  
**JOHANNES III**, circa Annum 1582; quum Sveci plures  
 a Rossis reportassent victorias, & Ingria Svecorum impe-  
 rio fuisse subjecta; tunc enim præter ordinarios a Sve-  
 cis, Gothis & Vandalis deductos titulos, audit **Magnus**  
**Dux Finlandiæ, Ingermanniæ, Careliæ, Solonski Pe-**  
**thin in Rossia & Dux Esthoniae in Livonia**, vid. *Stadgan*  
*om Kongl. och Förfl. Rätter 1582 d. 27 Januarii.* Ra-  
 tio autem hujus Ducis tituli facile redditur: Scilicet **JO-**  
**HANNES** a Patre constitutus fuit *Dux Finlandiæ*, & ut  
 ægre fieret Magno Duci Moschoviæ, qui hunc titulum  
 pridem adsumserat, & totius Finlandiæ subjectionem a-  
 nimo meditabatur, Magnus Dux Finlandiæ appellari vo-  
 luit. Addo tantum, quod immortalis Heros **GUSTA-**  
**VUS ADOLPHUS** fuerit ultimus Principum Svio-Gothi-  
 corum, qui Princeps Magni Ducis Finlandiæ titulum ges-  
 fit. Mortuo enim ejus fratre **CAROLO PHILIPPO**, Su-  
 dermanniæ ac Nericiæ Duce, Ordines Regni in Comitiis  
 Holmiæ An. 1622 habitis decreverunt, ne provinciæ Re-  
 gum filiis titulo Ducali concederentur. Atque ita Duca-  
 lis honos in Patria fuit extinctus, quæ Sanctio etiam,  
 mutata An. 1720 Imperii forma, sollemniter est confir-  
 mata. Attamen constat, quod Regina Svethiæ **CHRI-**  
**STINA** ordinem Ducalem postliminio in Patriam infer-  
 re voluerit, quo honoris fastigio digni visi sunt **AXE-**  
**LIUS OXENSTJERNA, PETRUS BRAHE & TOTT.**

Reginæ consilium de hoc negotio exponit CHANUS vel LINAGE de VAUCIENNES Tom III. 325. La Reine cependant, qui vouloit donner au Comte de Tott des marques effectives de son estime & de sa bienveillance, avant que de se depouiller de son auctorité, voulut le faire Duc, & lui donner un rang qui l' élevat au dessus de tous ses Compatriotes, mais comme il n' y avoit jamais eu dans ce Royaume-la, que les fils des Rois, qui eussent porté ces titres, elle ne trouva pas moins de resistance auprès des Grands, qu' elle n' en avoit trouvé à vouloir le donner pour Successeur au Prince, elle crut, que proposant de donner le même honneur au WACHTMEISTER Drost (legendum BRAHE), & au Chancelier, elle en viendoit au bout facilement &c. Sed reluctantibus Comitibus BRAHE & OXENSTJERNA, irritum factum est hoc ipsius consilium.

S. D. G.

